CONGREGATIONE
A SANCTISSIMO DEPUTATA

Eminentiſſimis Patribus

CARD. FRANCISCO BARBERINO, BELLUGA, AC LERCARIO,

NECNON

REVERENDISS. MAJELLA SECRET.

Bætica, ſeu Provinciæ Andaluciæ Nullitatis Capitulorum, & Exceſſuum

PRO

PP. Obedientibus Cappuccinis ejuſdem Provinciæ Bæticæ.

CONTRA

PP. Inobedientes Cappuccinos ejuſdem.

Facti.

ROMÆ, Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ, 1727.

Bætica, seu Provinciæ Andaluciæ Nullitatis Capitulorum, & Excessuum.

1. Eme, & Rme Dne. IN Bætica Nobili Hispaniarum Provincia vulgari Andaluciæ nomine explicata, in qua ne dum antiquis, verùm etiam modernis temporibus Cappuccinorum Religio, Christiana, & exemplari Pietate effloruit, Populisque ex incorrupta proprii instituti Observantia, continuam devotionem excitavit; nuper relaxatis habenis, adeò in ea perturbata, ac ferè collapsa extat Regularis Disciplina, ut toto Religionis statu inverso Patres tunc temporis Superiores illius Provinciæ plures abusus, pluresque excessus cum evidenti totius Populi scandalo committere, & patrare non erubescunt.

2. Ast diligentissimi totius Ordinis Superiores in hac Romana Curia commorantes, agnito lacrymabili hujus Religiosæ Provinciæ statu, quodque honor, ac decus totius Ordinis penitus destruitur, ad reparanda tot, tantaque præjudicia, ac ad componenda Religiosorum jurgia, & dissidia, opportunè cum consensu Reverendiss. Patris Vicarii Generalis, ac admodum R. P. Joannis Francisci à Castro S. Petri Generalis Definitoris in Urbe existentis, juncta etiam auctorabili permissione Eminentissimi, ac Reverendissimi nostri Protectoris in enucleata Provincia Andaluciæ, Visitatorem Generalem cum omnibus facultatibus desuper necessariis, & opportunis destinare, & eligere decreverunt; prout de facto ad explendam Commissionem prædictæ Visitationis, ac corruptos mores compescendos, & primævam observantiam, felicitatemque restituendam deputarunt, & elegerunt in Visitatorem admodum R. P. Franciscum à Santander Actualem Definitorem Generalem pro Hispaniarum Provinciis, virum prudentia, virtute, ac honestate superlativè compositum, & experientia in similibus negotiis peragendis in tota Religione comendatum; & id quod plus est in eademmet Provincia in filio procreatum.

3. Absumpto proinde (obsequendo mandatis Superiorum sui Ordinis) à mox dicto Patre Francisco à Santander Visitatoris munere, eidemque per Reverendissimum Patrem Petrum Mariam de Lucca Procuratorem, & Commissarium Generalem omni laude dignum, secundum sui muneris onus, & prærogativas ex Seraphicis Constitutionibus *Capitulo octavo fol.* 44. depromptas expeditæ fuerunt litteræ Commissoriales registratæ præsenti *Summario num.* 1., in quibus amplissimæ concessæ fuerunt facultates, tàm in corrigendis, emendandisque corruptis moribus, quàm Inobservantibus Patribus coercen-

ercendis. Istarum inquam licterarum auctoritate munitus P. Franciscus prædictus primum sui muneris experimentum prębuit in Conventu Hyspalensi, ubi Reverendus Pater Angelus Granatensis Provincialis cum toto illius Provinciæ definitorio residentiam constituerant, ipsisque omnibus in unum convocatis injunctam Visitationem sub die vigesimaquinta Novembris 1722. exponere, & notificare datum fuit, exhibitis proinde patentalibus literis suæ destinatæ Visitationis toto illo definitorio in unum congregato *Sum.n.2.* P.P. ibidem consedentes accurate illis perlectis, atque examinatis, debita (qua par erat) reverentia, & humilitate illas receperunt, & libentissimo animo acceptarunt; memoratumque P. Franciscum à Santander, in verum, ac legitimum Visitatorem recognoverunt, illum benignè amplectendo, manus submissè deosculando, & sigillum præcisè Jurisdictionis signum tradiderunt, atque consignarunt; aliaque gesserunt opportuna, & consueta, juxta formam, & dispositionem Instituti, & praxim Religionis in recipiendis Visitatoribus, prout notatur *Sum. n.* 3.

4. Hanc autem necessariam prudentemque Visitationem nimium ægrè ferentes nonnulli ex eisdem PP. illius Definitorii, & præcipuè ii, qui parùm antea P. Francisco à Santander sacros prębuerunt amplexus, pacisque imprexerunt osculum, propria regendi cupidine, nimis damnabiliter devicti moliendo modum, se à recognita, & pacificè acceptata Visitatione eximendi, & liberandi, convocato Definitorii finitimę Provinciæ Castellę auxilio, falsis, artificiosisque assertionibus seditiosè curarunt excitare animum, tam illius Provincialis, quàm aliorum ex Gubernio pro dicta Provincia Castellæ Villa Matriti commorantium, eis præcipuè figurando, quod P. Franciscus à Santander haberet in commissione facultates Visitandi etiam Provinciam Castellę *Sum.n.*4. ex quo falso accensi supposito, illius Provincię: PP., & potissime P. Felix à Villa Rubia, Jure jurando, & in teste, signo Sanctę Crucis adducto, totis viribus, totoque spiritu auxilia, & media pro removenda Visitatione polliciti fuerunt *Sum. num.* 5.

5. Sic igitur conjuratis utriusque Provinciæ Definitoriis adversus Patrem Franciscum à Santander Visitatorem electum, atque recognitum, & præcipuè Definitorio Provincię Beticę, excepto secundo Definitore, nempe R. P. Petro de Hardiles, cujus PP. (semper tamen inscio mox citato secundo Definitore) intolerabili sumptu, illicitis conventiculis, & adunantiis in Conventu Hispalensi convocatis cum interventu, & consilio plurium Religiosorum aliarum Religionum, & Secularium Iurisconsultorum *Sum. num.*6. Paternę Regulę prorsus immemores de mense *Decembris* 1722. nullo accedente Visitatoris impulsu, dùm adhuc initium Visitationi non dederat mediante supplici libello ad Regale Consilium porrecto, Seculare brachium, & potentiam pro suspendenda Visitatione invocare

non

non timuerunt; quin immò, & ulterius in exilium mittere P. Visitatorem non alia culpa, qua debitę obedientiæ Reum moliti fuerunt, figurando, quod noster Visitator P. à Santander, vel facultates legitimas non haberet, vel illę forent obreptitię, & subreptitię, quodque Visitatio perturbaret Provincię tranquillitatem, solumque à Superioribus Urbis procurata pro multiplici Suffragiorum cumulo in Capitulo Generali de proximo in Urbe convocando ad hoc, ut caderet electio Patris Generalis in persona utriusque confederatę Coronæ, Hispaniæ scilicet, & Galliæ suspecta *Sum. n.* 7. & fortius hoc falsum ac detestabile suppositum vividiori spiritu magnificarunt apud Reverendiss. Patrem Doubanton tunc Sacræ Regiæ Catholicę Majestatis Confessarium.

6. Motiva, & argumenta hujus figuratę diffidentię adeò valida promoverunt in Curia Matritensi memorati PP. Provincię Beticę Superiores, ut Regale illud Consilium non dubitaverit ordinem, & pręceptum relaxare, ut suspensa foret Visitatio usque tunc in Conventu Sancti Lucę de Barrameda pacificè inchoata, & successivè in Conventu Gadium, eadem prosperitate, ac Religiosorum plausu prosequta *Sum. num.* 8.

7. Expeditus autem P. Franciscus à Visitatione Conventus Gadium, paratusque existens, ad arripiendum iter versus Conventum de Xerez immediatè *die* 16. *Februarii* 1723. per Gubernatorem sęcularem Arcis seù Fortalitii Gadium, non sine totius Populi scandalo, & admiratione de ordine Regii Consilii publicè notificari, & intimari curarunt dictę Visitationis suspensionem, donec per Regale Consilium patentales literæ fuerint recognitæ *Sum. num.* 9. Qua recepta ea, qua decet humilitate, ac reverentia per Patrem à Santander Visitatorem, transmissis dumtaxat ad Regium Consilium in suæ innocentiæ signum literis patentalibus Superiorum Ordinis ab incepta Visitatione libentissimè sese abstinuit.

8. Ex hac impetratione Regii Ordinis audaciores effecti Patres recurrentes hujus Beticæ Provinciæ convocata Congregatione, seù definitione sub die 20. Martii 1723., non attentis protestationibus, ac iteratis reclamationibus, nedùm secundi Definitoris, verùm etiam Patris à Santander Visitatoris per specialia decreta, ac specificas resolutiones in pravam irrepserunt Definitionem Provincialem, statuendo, & ordinando, quod revocatis, & annullatis omnibus decretis, & ordinationibus in præcedenti Visitatione per nostrum Generalem Visitatorem peractis; Iste honorifico titulo Visitatoris remaneat spoliatus, impugnaretur stallum, ac præsidentiæ locus, & eidem Regularis Obedientia denegaretur; demum illum sine ullo tractatu, uti Religionis opprobrium deserendo *Sum. num.* 10., & ulterius sub figura, & malitiosa credulitate quod de medio sublata Visitatoris jurisdictione per Regiam suspensionem totum Beticæ Provincię Definitorium ex Bullæ Innocentianę dictamine deman-

 dantis

dantis ſexquiannalium Capitulorum celebrationem, propriam, & nativam Juriſdictionem reaſſumpſerit, decreverunt, ut ad Provinciale Capitulum omnibus poſtpoſitis reclamationibus procederetur, cujus reſolutionis executionem, adeò temerè, & audacter affectarunt, ut quamvis receperint literas à Reverendiſſimo Nuntio cum ſpeciali ordine ſeſe abſtinendi à celebratione Capituli ſub Pontificię indignationis pœna *Sum. n.* 11., iis tamen omnibus poſtpoſitis, atque neglectis, ſub die 23. Aprilis ejuſdem anni qualibet juriſdictione prorſus deſtituti ob Viſitationem commiſſam Patri à Santander, jam inchoatam, & in ...bus locis pacificè proſequtam; In Conventu Hyſpalen. nulla Superiorum Ordinis impetrata licentia, Provinciale Capitulum clauſis januis, & cum maxima Populi admiratione auſi fuerunt celebrare, in quo confirmato prius in Provinciali Patre Angelo Granatenſi, alios ſubalternos Miniſtros, & Guardianos; (iterum interdicta Viſitatoris recognitione, & obedientia ei præſtanda,) deputarunt, atque elegerunt, *Sum. num.* 12., in quo tamen Capitulo plures vocales proteſtarunt, atque de nullitate dixerunt, & quod pejus eſt eundem Capitulum, numquam approbare, atque emologare voluerunt Superiores Urbis *Sum. n.* 13., ſed potius Reverendiſſimus P. Vicarius Generalis illius temporis individuè illud reprobavit, & pro nullo habuit, declarando per ſuam ſpecialem Epiſtolam, quod non recognoſcebat, nec recognoſcere intendebat prædictum P. Angelum Granatenſem in Provincialem uti electum, & confirmatum à Capitulo nullitèr, & ſine facultatibus convocato in Civitate Hiſpalenſi *Sum. num.* 14.

9 Verùm quia in dies ob denegatam Capituli confirmationem pertinaciores evadebant rebellium animi, novas implicando vires; & preces in Regio Conſilio pro totali exilio Viſitatoris à Bætica Provincia; opere pretium fuit ad ſupremam S. Sedis Apoſtolicæ authoritatem, & potentiam confugere; ad hoc ut componerentur tot diſſidia, & perturbationes in præjudicium, ne dum famæ, & decoris, adeò ſanctæ & Exemplaris Religionis, verum etiam in evidenti contemptu ſuperioritatis, & Iuriſdictionis ſuperiorũ totius Ordinis, quorum authoritatem jacta...ant iſti non ſine aliorum P. P. credulitate non poſſe extendi, & vires porrigere ad Bęticam Provinciam, tamquam (ut ipſi ajebant) exemptam, & privilegiatam ex brevi S. M. Innocentii XII. amplius, ſubijciendi, & obtemperandi ordinibus, & præceptis Superiorum Ordinis in Urbe exiſtentium *Summ. num.* 15.

10 Propterea que tot, tantiſque motibus, diſſidiis, ac perturbationibus, ſumma pietas, Paternaque Charitas Sanctiſs. Domini noſtri Regnantis Pontificis Benedicti XIII. hanc dilectam Religionem in ſigno paupertatis adauctam, devexatam agnoſcens motu propriò, & ex plenitudine ſuæ poteſtatis in emendationem deperditæ honeſtatis, & famæ ſub die 29. Iulii 1724. ſpeciale Breve expedire voluit, in quo per modum aſſumpti gubernii; ne dum annullavit, atque delevit

levit Capitulum in Ciuitate Hispalen. celebratum, ac omnia per eundem Capitulum ædita præcepta circumscripsit, verùm etiam providè consulendo imminenti necessitati illius Prouinciæ ad electionem aliorum Superiorum omni virtute, & prudentia superlativè ad Gubernium Provinciæ aptiorum devenit *Summ. num.* 16., ut latiùs dicitur in dicto Brevi, cujus exequutionem subinde Rev. Archiepiscopo Hyspalensi summa sollicitudine commisit, atque commendavit.

11 Vix autem contrariis Religiosis notificatum fuerit Breve prædictum à S. Sede expeditum per Rev. Archiepiscopum antedictum, & per istius literas Iudicibus Ecclesiasticis, ac Notariis Apostolicis Archiepiscopatus Provinciæ Granatensis directis *Summ. num.* 17., ut novis aptatis præsidiis, ac validioribus excogitatis mediis ad elidenda S. Sedis Apostolicæ præcepta, iterum, atque iterum multiplicando instantias ad Regia Tribunalia omnia in sæpedicto Brevi disposita contempsere *Summ. num.* 18. quin, & magis cum semper durior eisdem foret repugnantia recedendi ab officiis, & Guberniis per antedictum Capitulum in Conventu Hispalen. elargitis, in majorem contemptum: & præjudicium ipsius Sedis Apostolicæ, suæque Religionis humilitatis, & obedientiæ non sine damnabili temeritate, licet ipsis notum fuisset Breve Sanctiss. super quo sententiam advocatorum Regii Tribunalis exquisiverunt *Summario numer.* 19. tamen ad celebrationem alterius, & quidem magis scandalosi Capituli devenerunt in Civitate Granaten. sub die 13. Octobris 1724. *Summ. num.* 20.; & subinde semper inobedientes, semperque Pontificiæ legis, & Seraphici Instituti contemptores, nondum Christiana sinderesi perlustrati non erubuerunt, aliud, & quidem tertium, & ultimum Capitulum in eodem Conventu celebrare *Summ. num.* 21. & ulterius exemplis, & documentis imbuere in Religiosis iuvenibus libertatem, & pravam opinionem inobedientiæ, erga Superiores Ordinis, & Breve Sanctiss. *Sum. num.* 22., quæ documenta præcipuè in Iuvenibus: qui juxta naturæ impulsum magis sunt proni ad libertatem, nimis scandalosa, & damnabilia dignoscuntur.

12 His tamen minimè obstantibus obstinata inobedientium protervia in immensum ad augumentum deflexit, quoniam in reddenda debita obedientia tam Ordinis Superioribus, quam S. Sedi Apostolicæ nullo medio se subiicere voluerunt; unde ex summa Nostri Pontificis clementia magis opportuna media adstruere necesse fuit, in modum, ut iussu Sanctiss. expeditus fuit ad villam Matriti R. P. Franciscus Giennesis tunc Secretarius Generalis, nunc Custos dictæ Provinciæ Bæticæ, in cuius prudentia, ac doctrina maiorem Sanctitas Sua fælicis exitus spem reposuerat, ad hoc ut Sacræ Catholicæ Maiestati omnimodam sui Brevis exequtionem suadere conaretur *Summ. num.* 23. & ulterius, ut magis intentum consequi posset, transmissa extitit littera in forma Brevis dictæ Sacræ Catholicæ Regiæ Maiestati,

ut dignaretur indictam suspensionem Visitationis delere, ac revocare *Summ. num.* 24. & incontinenti ex opera, diligentia, ac virtute memorati P. Francisci Giennensis Piissimus ille Rex agnita PP. Recurrentium malitia in provocando ad suum Regale Consilium per speciale diploma revocationi, & abrogationi demandatæ suspensionis benigniter indulsit, atque Apostolicum Breve exequutioni demandari voluit, & ulterius prosequtionem Visitationis concessit *Summ. num.* 25.

13 In hoc rerum statu, ex quo infra brevem spatii cursum indicta erat destinatio Capituli Generalis in Urbe, nonnulli ex inobedientibus in primo ex celebratis Capitulis Superiores electi nulla reportata Superiorum licentia ad Urbem devenire ausi fuerunt, & sub oculis, nedum Superiorum Ordinis, verum etiam Summi Pontificis, quorum superioritatem, & authoritatem, respectivè, tam acriter offenderant, vota fœliciter dare præsumpserant; sed duo ex ipsis in Urbe carcerati, nempe P. Ildelfonsus Dellerena, & P. Felix à Santander de ordine Sanctiss. ac Sac. Congregationis *Summ. num.* 26. cœteri verò in Civitate Genuæ, ubi appulerant interrupto intinere, & iussu Sanctiss. inibiti non valuerunt ad mensuram propriæ affectionis ad celebrationem Generalis Capituli personaliter sese conferre.

14 Post hæc autem ad novas recurrendo astutias, & malitias figurato pœnitentiæ, & submissionis animo literas submissivas Vrbis Superioribus transmiserant, in quibus dumtaxat exposcebant occasionem sua iura allegandi, & deinde ad omnia ea, quæ determinata forent per P. Generalem noviter electum obedientiam, & submissionem præstare.

15 Hinc ex assueta benignitate nostrorum Superiorum, audito etiam Eminentiss. Protectoris oraculo eis expedita fuit licentia, ut ad Vrbem accedere valerent *Summ. num.* 27.

16 Pluribus propterea super hoc negotio inchoatis congressibus corā Rev. P. Generali, auditisque in scriptis defensionibus eorum, plura, & quidem adequata dicto P. Generali fuerunt pro hac parte proposita media, ut ad honestam, perpetuamque concordiam inter P. P. huius Provinciæ procederetur. Verum posthabitis etiam enixis Eminentiss. Protectoris Instantiis, nedum dicti P. Generalis iudicium tanti momenti irresolutum remanserat, verùm etiam PP. inobedientes summis favoribus, & gratiis loco pœnæ exornaverat, iuncta etiam spe illos promovendi occasione proximæ Visitationis ad superiores gradus, & officia illius Provinciæ, & sub istis auspiciis dimissi feliciter in Hispaniam regressi sunt.

17 At quia nondum in ea Provincia extincti erant motus, rumoresque ex gravibus prædictorum PP. excessibus progeniti; nec adhuc deleta erat scandalorum memoria, non sine lacrymis rammemoranda, & adhuc ab hominum conceptu minimè fugatæ erant iniuriæ propriæ Religioni, & S. Sedi irrogatæ, in cuius opprobrium ce-

deret

deret Adversariorum Triumphus, per totam Hispaniam de spretu Brevis universaliter instructam, & hinc non benè auditum remanet, quod dicti PP. restabilirentur ad propria officia, per quæ, non solum ad nova flagitia commodè prosilere possent, sed etiam in vindictam contra alios PP. obedientes sub zeli colore arma vertere valerent.

18 Quapropter porrectis demum novis precibus Sanctiss. Domino Nostro, ut tandem digneretur tot iurgiis, totque dissidiis exortis in hac tam bene à toto Orbe accepta Religione, finem imponere, mediante deputatione, seu destinatione, unius particularis Congregationis: unde ex suprema Sanctitatis Suæ munificentia, gratia precibus uniformis emersit, ac deputata fuit hęc Sacra Congregatio Eminentiss. PP. ad hoc, ut gravibus, & intollerabilibus huius Religionis, & præcipuè Bæticę Provincię scandalis opportuna remedia dare dignarentur.

19 Duo igitur in pręsens EE. VV. pro parte PP. obedientium dubia disceptanda proponuntur, eaque summa, & assueta pietate, ac iustitia resolvenda, ac definienda. Primum dubium in eo reponitur -- *An tria celebrata Capitula tempore Visitationis P. Santander sint annullanda, & revocanda omniaque, & singula in eorum sequela gesta circumscribenda veniant* -- Alterum autem dubium versatur in ordine ad excessus per PP. Adversarios commissos in spretum Superiorum, & Clavium -- *An, & ad quas pœnas inciderint, & coarcendi sint*.

20 Ad congruam igitur utriusque dubii resolutionem infradicendę rationes, & argumenta sub EE. PP. iudicio exponuntur, quibus attentis, iure meritò blandimur oraculum reportare pro nullitate Capitulorum, ac circumscriptione omnium gestorum in eis, pęnasque tàm Ecclesiasticas, & Spirituales, quam etiam corporales, iuxta delictorum gravitatem, & secundum iuris, & Instituti leges irrogandas fore, prout humiliter, ac devotè deprecamur.

21 Et inchoando à primo ex celebratis Capitulis in Conventu Hispalen. sub die 23. Aprilis 1723. nullitas istius Capituli ex geminis, ęque tamen validis rationibus refulget. Prima quia P. P. Vocales devenerant ad illius celebrationem postquam Revendiss. Hispaniarum Nuntius de Ordine Sanctiss. interdixerat, atque prohibuerat illius celebrationem, indeque huius Capituli explementum utpotè patratum posthabita, & omninò neglecta Principis prohibitione & inhibitione remanet in omni sui parte irritum, & vitiatum ob concursu malę fidei, & adversionis erga pręcepta Supremi Principis eis indicta juxta *Text. in cap. ut nostrum de appellat. Oltrad. ad consil.* 206. *num.* 1. quem sequitur *Lancellot. de attentatis* post inhibitionem *num.* 49., *Paris. de resignat. lib.* 4. *quęs.* 9. *num.* 28., *& seqq. Gonzalez ad reg.* 8. *Glos.* 16. *num.* 37. *Ciampin. divers. Jur. Can. rub.* 11. *cap.* 13. *num.* 109. *Acchil. decis.* 29. *de appellat.*

 Man-

Mantic. decis. 168. num. 1., & decis. 84. num. eodem, & Rota inter diversorum decis. 785. num. 1. par. 1., & in recen. decis. 296. nu. 1. par. 1. & in terminis de precepto Papę decis. 90. n. 1. & 2. par., 9. recent.

22 Altera ratio educitur ex regulis Instituti sui Ordinis, in quo disponitur, quod tempore Visitationis per Superiores Ordinis demandatę Visitatore adhùc moram trahente in Provincia, quęlibet facultas convocandi Capitulum interdicta pęnitusque sublata remaneat in Provinciali illius definitorii *Portel. in dub. regul. verbo Provincialis in addit. ad Lezan. tom. 1. cap. 13. num. 28., Lezan. in sum. tom. 2. cap. 3. num. 28. Sanchez lib. 3. de matrim. disput. 8. & egregie prelaud. nostrę Religionis auctores, Ioann. Franc. à Leonissa Carp. in suo tom. Crim. 20. Iust. cult., & pręcipuè regul. de jurisd. Iudic. deleg. prat. 1. fol 18., & prax. 2. fol. 20., & 21. Philip. de Bictis in epitom. caus. iudic. prax. 4. num. 159.*, palam inde fit, quod Capitulum ita celebratum salvari nequeat à quolibet vitio patentis nullitatis, & à spretu, seu contemptu superioritatis Visitatoris electi, cui dumtaxat datum fuit illud convocare, & in eo pręsidere, ita suadentibus regulis, & constitutionibus Ordinis, ut in puncto definiverat Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium in Provincia Mediolan. 13. Octobris 1666. *Sum. num. 28.*; & bene firmat *Passarin. de elect. cap. 14. n. 6. ibi necesse extat Capitulum electionis, ut sit multitudo congregata ab eo, ad quem hoc pertinet, vel ex lege, vel ex consuetudine - & prosequitur Card. de Luc. de Canonic. disc. 27. n. 8. D. Piton. discept. Ecc. 94. par. 3. num. 1., ubi allegat. decis. Rot. in Gerunden. Jurisd. super validitate resolutionum 19. Junii 1702., §. principale coram Card. Priolo allegata ibidem ratione -- nam ubi convocatio Capituli fit per alterum, quam per eum ad quem spectat, non substinetur.*

23 Fortiùs in casu pręsenti, ubi P. Franc. à Santander ostensis literis suę Visitationis tàm P. Provinciali, quam omnibus Definitoribus in Conventu Hyspalen. opportunè consedentibus absque ulla reclamatione fuerat in verum, & legitimum Visitatorem recognitus, & receptus, nedum per osculum pacis, sed quod plus est, per actualem consignationem Sigilli Religionis, quę non minus spontanea, quam debita recognitio mirum in modum influit ad nullitatem Capituli, dum per eam P. Provincialis, totumque Definitorium suam Jurisdictionem dimiserant in P. Visitatore eum agnoscendo, ut Caput, & Superiorem, veluti bene declarat *Pontel. in dub. regul. verbo Provinciali adden. ad Lenę tom. 1. cap. 13. num. 28., & ex Scriptoribus nostrę Religionis P. Philippus de Bictis in Epit. judic. prax. 4. num. 159.*

24 Ast futili labore amplius immoramur ad ostendendam, demonstrandamque nullitatem hujus Capituli, dum nobis sese offert speciale Breve Sanctissimi nostri Domini, de quo infra verba faciemus,

mus, ubi huiusmodi Capitulum irritum, nulliusque roboris declaratur, & quacumque facultate, tam P. Provincialis, quàm omnes Definitores spoliantur, ac denudantur: Ista igitur attenta declaratione ex voce Sanctissimi profluente ampliùs de nullitate non est ambigendum, Breve enim Pontificis motu proprio munitum stat pro lege certa & indeclinabili, contra quam nulla valet adduci oppositio, sive reclamatio utpotè continentem clausulam, & decretum irritans, per quod removetur quęlibet occasio ulterioris disceptationis, nisi impetrata oris aperitione iuncta pręcipue clausula motu proprio *text. in leg. fin. C. de leg. Gabriel cons.* 15. *in princ. lib.* 2. *Rot. decis.* 558. *sub num.* 1. *par.* 1. *rec.*, *& melius dec.* 524. *num.* 8. *par.* 19. *recen. tom.* 2.

25 Gradum inde faciendo ad demonstrandam nullitatem secundi Capituli in Conventu Granatensi sub die 13. Octobris 1724. celebrati, ista profectò nullitas ne dum insanabilis remanet, verum etiam temeraria, & scandalosa, quoniam PP. Adversarii moniti, ac certiorati de existentia, & expeditione Brevis prędicti per specialem epistolam Reverendissimi Archiepiscopi Hyspalen. exequtoris dicti Brevis, loco obsequendi piis honestisque pręceptis Summi Pontificis à Regiis Advocatis affectatè procurata consultatione ad celebrationem Capituli prosilerunt; Iusuper plures faciendo recursus ad Regia Tribunalia, implicandoque possibilia media, ut Brevis exequtio suo non potiretur effectu. Cum igitur indubitabilitèr appareat, quod huiusmodi Capitulum convocatum, & completum extiterit post certam, & indubitatam Brevis Notificationem, omniaque subinde gesta expleta fuerint in odium dicti Brevis, mole sua, inde descendit palmaris nullitas, vel quia in Brevi sublata fuerat facultas P. Provincialis ampliùs convocandi Capitulum, & per consequens dicitur convocatum à non habente Iurisdictionem, & potestatem, quæ semper requiritur in Capitulorum convocatione, ut bene observat laudatus D. Piton. *dicta discept. Ecclesiastica* 94. *part.* 3. *num.* 1., vel quia hujusmodi Capitulum celebratum fuerat non obstante individuali scientia Brevis, quæ sola scientia etiam si non intercedat Brevis præsentatio per medium exequtoris, satis est ad incurrendam nullitatem actus, tanta enim est Summi Pontificis, ejusque authoritas, ut ex sola, & nuda scientia illius præcepti incurritur nullitas actus, & majestatis læsio, maxime si scientia processerit per medium Principalioris Ministri S. Sedis, qualis est Reverendissimus Archiepiscopus Hispalen., ex quibus omnibus manifestè sequitur, quod omnia, ac singula acta gesta post habitam scientiam Literarum Apostolicarum, quarum celeris debet esse exequtio juxta *text. in cap.* 5. *de rescript. Rota dec.* 635. *n.* 12. *& seq. part.* 12. *recen.*, tanquam attentata, & quidem violenta, annullanda, & revocanda veniunt, ne remaneant pessimi exempli, adeò obstinata repugnantia in obtemperando Brevi Sanctissimi, maximè in Religio-

sis

ſis Cappuccinis, quorum ſemper fuit exemplaris obedientia tam erga Sedem, quàm erga ſui Ordinis Superiores, juxta *Text. cap. propoſuit* §. *licet autem de conceſſ. præben. Rot. in Bituntina Iuriſpatr. 26. Februarii* 1646. §. *non obſtat coram b. m. Arguelles, & part. 12. recent. deciſ. 205. num. 5.*

26 Et quidem fortiori ratione in præſenti, ubi formalis præſentatio dicti Brevis ſequi non valuit ex facto Adverſariorum, qui ad illam impediendum clauſis januis, poſitiſque cuſtodibus etiam armatis in ſolito tempore poſt Matutinum ad Capituli celebrationem devenerunt; ex quo facto ſuccedit ea Iuris propoſitio, quod defectus intimationis ſi procedit facto, & culpa illius, cui erat facienda intimatio non poſſit ab eo allegari; immò in illius odium, habetur, ac ſi intimatio præſentata foret, etiam ad effectum purgationis attentatorum *cap. quoniam* §. *porrò ut lite non contextata de conceſſ. præben. in* 6. *Gonzal. ad reg.*8. §.3. *n.*41. *Creſcen. dec.*18. *n.*5. *de Senten., & re judic. adden. ad Geor. deciſ.* 188. *n.*6. *Rot. pars.*14. *recen. deciſ.* 7. *n.* 2. & 3. *Seraphin. deciſ.* 1094. *num.* 1. & *ſeqq. Rot. poſt Farinac. deciſ.*348. *num.*3.

27 Ex identica iſta ratione tranſitum faciendo ad tertium, & ultimum Capitulum poſt prędicta omnia à prędicto Provinciali, ac toto Definitorio celebratum in eadem Civitate Granaten. *die* 11. *Januarii* 1726. etiam intercedente proteſtatione ſecundi definitoris, quæ ſemper in quolibet Capitulo conſtantiſſimè ab ipſo emiſſa fuerat, iſtius nullitas, & inſubſiſtentia refulget, quia prætermiſſo illius peculiari, & individuo examine, omnes nullitates in præcedentibus Capitulis enucleatæ etiam ad nullitatem iſtius conſpirant, quia nullitas primi Capituli influit etiam in ſecundo, & de medio ſublata prima electione corruunt in neceſſarium conſequens aliæ ſucceſſivæ, & ſubalternæ electiones, cum omnes iſtæ à prædicto Capitulo dependeant, eique famulentur, veluti bene notat *Surdus conſil.*385. *n.* 19. *Menoch. de præſumpt. lib.* 3. *num.*10. *Gratian. diſcept. forenſ. cap.*234. *per tot. & cap.*761. *num.*19. *Ramon. conſ.*37. *n.*8. *Rota cor. Rojas deciſ.*362. *num.*8., & *dec.*1284. *num.*1. *cor. Emerix.*

28 Ad prædicta omnia ſtrenuè occurrunt P. P. Adverſarii ſub figurato, & inſubſiſtenti prætextu, quod eatenus obtemperare recuſaverint P. Franciſco à Santander Viſitatori Deputato, quatenus ipſe literas Viſitationis impetraverat à Reverendiſs. P. Procuratore, & Commiſſario Generali Urbis, qui cum habeat poteſtatem, & facultatem à P. Miniſtro Generali delegatam non poſſit alterum ſubdelegare, ita, & taliter, quod eorum inobedientia tribui potiùs debeat defectui facultatum, quàm reſiſtentiæ obtemperandi præceptis Religionis.

29 Objectum tamen iſtud apparenter dignoſcitur mendicatum, & in ſubterfugio adinventum, quia ad demonſtrandum, quod Adverſariis prorſus illicita fuerat reſiſtentia adverſus literas Viſitationis

P.

P.Franciſci à Santander per Reverendiſs.Procuratorem,& Commiſſarium Generalem ſubſcriptas, ſatis eſt reſpondere, quod Religioſis ſubditis, & ſubalternis præcipuè hujus commendabilis Ordinis S.Franciſci, qui in ſigno obedientiæ vincunt pænitus vetitum ſit impugnare juriſdictionem Superiorum ſui Ordinis, & adverſus illos ex abrupto obſtaculum promovere juxta diſpoſita in Bulla S.M.*Vrbani Octavi* regiſtrata in Bull. Cherub. tom.5. fol.94. in §. 2. in fine ibi -- *ut Miniſtrum Generalem, ac Procuratorem Generalem dum vices ipſius Miniſtri Generalis ſubſtinet, eſtque Commiſſarius Generalis Præfatorum in ſuos Superiores recipiant, & agnoſcant, eorumque ſalubria monita, & juſsa ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent -- & generaliter docent Achil. dec.* 29. *num.*6. *de Appell. Put. dec.*395. *in fine lib.*2. *Lancel. part.*2. *cap.*12. *limit. prima num.*110. *& Rot. part.*2. *recent. deciſ.* 670. *num.*2. iſti enim ſunt filii obedientiæ, & parere tenentur ſaltèm ex honeſtate Religionis; maximè poſtquam Viſitatorem publicè recognoverant, ut in ſimili firmat prælaud. *Teſt. in cap. inter Monaſterium ubi Gloſ. Verbo Subeundo Jud. verſiculo hoc dicunt quidam de re jud. & ibi Abbas n.*8.9. *& generaliter Natt. Conſ.* 636. *num.* 62. *cum aliis per Rot. in Auximana Cenſus* 10. *Martii* 1636. *num.*10. *coram Ghiſilerio, & in rec. part.*18. *dec.*209. *n.*9.

30 Verùm magis ab intrinſeco percuntata juriſdictione, & facultate P. Procuratoris, & Commiſſarii Generalis incontinenti convincitur, quod in eo inſita, & radicata manet facultas relaxandi litteras, ſeù patentes pro Viſitatoribus ex ſe ipſo, & independenter, quia indubitatum eſt, quo P. Generalis totius Ordinis, in quo talem adeſſe facultatem non eſt, qui audeat denegare, cum ſit Princeps totius Religionis,& veluti Epiſcopus Juriſdictionem habeat in ſuis ſubditis *Card. de Luc. de Regul. diſc.*23. *num.*3. *Rota dec.*15. *poſt Tamburin. de Jur. Abbat., & Rot. deciſ.*618. *part.*5. *recent. Rodrig. qu. Regul. tom.*1. *artic.*10. *Suarez de Religioſis tom.* 4. *cap.*12. *lib.*2.*n.*2. 9. *Miran. in Manual. Prælat. part.*1. *quæſt.*13. *art.*3. 5., ex conſuetudine cumulativè communicare ſolet omnes ſuas facultates prò Regimine totius Religionis dicto Procuratori Generali ſuper omnes Provincias Ultramarinas, ſuper quibus totale gubernium, omnimodamquè directionem eidem committit, atquè relaxat excepto caſu, quo P. Generalis in eiſdem Regionibus Ultramarinis commoretur, in quo caſu eandem Juriſdictionem in Provinciis Italiæ eidem Procuratori Generali elargitur, ex iis igitur ſequitur, quod Juriſdictio, quæ in P. Procuratore, & Commiſſario Generali refulget, ea in conſuetudine, quæ vim legis habet, ſubſtantiatur *juxtà Azon. in Summ. C. quæ ſit longa conſuetudo, Pignat. conſ.* 43. *n.* 2. *tom.*1. *Sperel. dec.*67. *num.*20., *& ſeq. Rota coram Cavall. dec.*125. *num.*8., *& dec.*278. *num.*3., *& ſeq. part.*12. *recent., & deciſ.*285. *num.*6. *apud Poſth. de manuten., & in Parmen. Benef. ſuper exequu-*

tione

tione litterarum 17. *Martii* 1710. §. *at submovetur coram Reverendiss. P. D. Aldrovando*, & in terminis individualibus, quod Iurisdictio acquiritur per consuetudinem egregiè docent *Roch. in cap. fin. sect.* 1. *n.* 25. *de consuetudine Perez in l.* 1. *glos.* 67. *col.* 2. *tit.* 3. *lib.* 1. *Palat. in repet. c. per vestras, notab.* 2. §. 1. *num.* 27. *de donat. intèr virum, & uxor. notab.* 2. §. 1. *n.* 27. *Decian. in tract. Crimin. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 1., & 2. *relati à Julio Chartario decis.* 6. *num.* 5. Proptereàquè talis Iurisdictio appellari nequit delegata, sed potiùs ordinaria, & nativa totum suum esse productivum habens ex ipsa consuetudine consentiente P. Generali, & consequentèr allegari nequit, quod P. Franciscus à Santander fuerit delegatus à non habente Iurisdictionem ordinariam ad universalitatem Causarum, & specialitèr de Procuratore Generali apertis literis videtur sentire *Torricel. tom.* 1. *cap.* 8. *fol.* 44. -- *Est consuetudo, quod P. Generalis committat ad P. Procuratorem suam Auctoritatem supèr aliquas Provincias.*

31 Et eo magis hæc Iurisdictio P. Procuratoris Generalis dignoscitur nativa, & ordinaria in relaxandis literis Visitationis, aliisque actibus jurisdictionalibus peragandis; vel quia concurrit observantia ab eisdemmet P. P. Adversariis acceptata, & enucleata. Dùm enixè ab eodem P. Procuratore Generali, iteratis vicibus comprobationem Capitulorum in Provincia gestorum expostularunt, quàm comprobationẽ non petiissent, si in eo non esset ordinaria, & nativa Iurisdictio; Vel quia P. Generalis etiamsi talem facultatem alicui alteri Prælato Regularicommittere, aut delegare voluerit, id profectò eidem permissum non esset; signum quidem evidens, quod ex ista consuetudine communicandi facultates Procuratori Generali supèr Provinciis Ultramarinis, quoddam jus intrinsecum proprium, & independens nutritur favore P. Procuratoris Generalis, per quod eidem nativa, & ordinaria acquiritur jurisdictio virtualitèr, seù interprætativè subintellecta in ejus electione à Generali Capitulo totius Ordinis proficiscen. ut in puncto de Procuratore Generali nostræ Religionis loquitur *Bollr. in direct. part.* 1. *cap.* 4. *allegat. per P. Philip. de Bictis Capuccinæ Religionis Auctorem in suo tractatu de Epit.*, & *prax. caus. Regul. quæst.* 3. *num.* 1. *in fin.*, & *generalitèr tradit specul. in tit. de offic. Ordin.* §. 1.

32 Addito potissimè, quod in toto Ordine P. Generalis explet figuram Principis habentis Supremam Iurisdictionem in suos subditos Regulares intrà Claustra degentes, ut ultra superius allegatas conclusiones prosequitur *Eminentissimus de Luca de Regul. disc.* 54. *n.* 3. & consequentèr etsi ad sensum partis, Iurisdictio P. Procuratoris, & Commissarii Generalis foret delegata, ac dependens, adhuc quia illam haberet à suo Principe immediatè, vetitum ei non erat devenire ad concedendas literas Visitationis dictarum Provinciarum, ex ea communi regula, quod delegatus à Supremo Principe potest

etiam

etiam subdelegare juncta præcipuè inconcussa observantia totius Religionis semper, & continuò incorrupta expediendi scilicèt literas Patentes Visitationis in Provinciis Ultramarinis subscriptas per solum Procuratorem, & Commissarium Generalem, & promptè exequutioni successivè demandatas, generalitèr differit *Tex. in cap. vener. de offic. delegat.*, *Ias. in l.1. num.65. ff. de offic. ejusdem*, *Feder. de Sen. cons.216. Tusc. lit. D. concl.149., & 150. per tot. Faccb. controv. Jur. l.1. cap.45. Ric. collect.1117. Rot. part.13. rec. decis.104. num.9., & seqq., & in puncto, puncti Procuratoris Generalis Cappuccinorum firmat laudatus Auctor P. Philip. de Bict. loc. cit. num.6. ibi -- Prò concordia possumus dicere, quod etsi Commissarii, & Visitatores Generales verè delegati sint, tamèn quia eorum delegatio à Principe est possunt dici ordinarii*, & generalitèr *Abbas in cap. Pastoral. num.2. de offic. delegat. Jo. Bapt. de Toro vot.15. n.17.*

33 Et citra ullam difficultatem in casu pręsenti, quoniam relaxatio literarum patentium P. Francisci a Santander non contingit ex sola ultronea, aut arbitraria voluntate P. Procuratoris Generalis, cuius ut diximus incontrastabilis est potestas, sed evenit cum speciali consensu, & approbatione P. Vicarii Generalis, ac Definitoris Generalis, & quod plus est intercedente permissione, & authoritate Eminentiss., & Reverendiss. nostri Protectoris, per quos omnes deputatio, sivè electio Visitatoris Provincię Bęticę in personam P. Francisci à Santander communi plausu laudata, & commendata extitit; ex communi igitùr tot Superiorum consensu, friolę, & inoperosę remanent quęcumque oppositiones, aùt resistentię per P. P. Provincię Bęticę adversùs facultates P. Francisci à Santander excitatas, omnisque defectus Iurisdictionis (si qui sit) de medio sublatus remanet; auctoritas namque Superiorum, etiamsì superveniat, potens est nullitatem sanare, defectus enim Iurisdictionis in literis per P. Procvratorem Generalem relaxatis dumtaxàt allegari posset ab eisdem Superioribus, quorum lęsa foret Maiestas, non autèm à P. P. Provincię Beticę; isti enim ut inferiores sinè contradictione obtemperare tenentur, & debitam obedientiam sub qua vitam ducunt commendabilitèr pręstare iuxtà sui Ordinis elementaria Instituta, proùt considerat *Natt. cons. 636. n. 12. Magon. decis. Floren. decis. 31. n. 14. Mart. Medic. decis. 55. per tot.*, *Rot. decis. 209. n. 9. part.*

34 Non dùm ex iis perterriti P. P. Adversarii alia adinuenta ratione inculcare audent facultatem, & iurisdictionem trasmittendi Visitatorem in Provinciis Hyspanię, nedùm adversùs P. Procuratorem, & Commissarium Generalem, verùm etiàm contrà omnes Superiores totius Ordinis sub ea fallaci credulitate, quod isti ad transmittendos tales Visitatores dumtaxàt procedere possent, quando exorta forent insolita scandala, gravesque perturbationes in Provincia, & hoc pręvia monitione facienda P. Provinciali prò

tem-

tempore illius Provincię quę ſcandala in pręſenti non interveniſſe aſſerunt, maximè, quià P. Provincialis Angelus Granatenſis in preventiva illius Viſitatione plurima correxiſſe crimina iactabatur, pluresquè corruptelas compoſuiſſe aſſerebat, & forsàn ſi aſſueta pręceſſiſſet monitio ad alia Religioni utiliora progreſſus fuiſſet.

35 Hęc Adverſariorum prętenſio nimis audacitèr promota ad ſolum finem ſeſe confovendi in abſoluto regimine, & diſpotico gubernio totius Religionis illius Provincię; (Ultrà quod in pręſens nimis calumniosè, & obiectivè dignoſcitur; dum P. Hermenegildus Hyſpalenſis tùnc primus Definitor, modò Contradictor ſcripſerat P. Procuratori Generali deplorabilem Provincię Statum, Regulęque diſtructionem; quodquè procederet ad adequata, & congrua remedia; in modum ut ampliùs conquerere de iniuſta cauſa tranſmittendi Viſitatorem, ac de facultate, ſivè poteſtate P. Procuratoris Generalis ſapit inſipientiam, & iniuriam); aberrat ab omni Equitate, & Iuſtitia, quoniàm Superiores Ordinis non coguntur in literis Viſitationis exprimere ſpecies, & qualitates criminum, ſed eis ſat erat infollè, & generice enarrare cauſas, ut ſatisfactum habeant, tàm Conſtitutionibus Ordinis, quàm Bullis Apoſtolicis, proùt practicarunt in literis expiditis favore P. Franciſci à Santander, in quibus cauſas motivas per ſequentia Verba expreſſerunt -- *Novationes, ſcandala, animiquè perturbationes &c.* -- quę autem, & quales fuerint, & ſint huiuſmodi ſcandala, aùt perturbationes datum non eſt Adverſariis ſindicari, ſed in mente, & in voluntate Superiorum demorantur, qui rimata illorum gravitate, illorumque pondere pro eorum libito ad Viſitationes committendas procedere valent, monſtruoſum enim foret, quod Superiores Ordinis, & pręcipuè P. Generalis in traſmittendo Viſitatores in illis partibus exprimere, & individuare deberet cauſas animum ſuum moventes, dum per huiſmodi expreſſionem, & coactivam neceſſitatem, ſuam ſupremam auctoritatem, & poteſtatem lęderet coactivè rationem reddendo P. P. Inferioribus, & ei ſubordinatis de adminiſtratione ſui abſoluti, & independentis gubernii; eſt namquè intèr omnes Ordines Regulares inconcuſſa Regula, quod Superioribus Ordinis ſemper, & quandocumque libera data ſit facultas ad morum correctionem Viſitatores tranſmittere; & prò libito etiàm convocare Capitulum, illudque prorogare proùt ſtatuit *Trident. Synod. ſeſs.25. de regul., cap. 1., & aſſerunt Barboſ. Vot. 47. n. 13. Paſſarin. de elect. cap. 11. n. 68., Sygiſ. Abon. de elect. dub.13. n. 7.*

36 Itidem moliendo ſepedicti noſtri Adverſarii aliud magis deteſtabile medium proſternendi legitimam Iuriſdictionem, validaſque facultates, quibus pollet noſter Viſitator Franciſcus à Santader, promovent aliam non minus iniuſtam prętenſionem, in eo potiſſimè fundatam, quod ſuſpenſa, ac interdicta ex Regio pręcepto

Gene-

Generali Visitatione Provinciç Bçticç, quam P. à Santander inchoaverat in eadem Provincia, per quandam speciem remotionis obstaculi Spiritum reassumpserint ordinariç eorum facultates elargitç prçcipuè *in Brevi s. m. Innoc. XII.*, ubi conceditur facultas de sexquiennio in sexquiennio celebrandi Capitulum in Provinciis Hispaniç & Officiales in eo eligendi; propchereàque attenta, ut diximus suspensione Visitatoris, ac accedente tempore ad celebrandum nouum Capitulum designato, inducta fuerit in illis facultatum reviviscentia, & regeneratio Jurium, quç ex Provinciali munere insita fuere convocandi scilicèt nouum Capitulum, nè electio *juxta Bullam Leonis X.* ad Superiores Ordinis devolveretur, citrà ullum prçiudicium Visitatoris, per quam reviviscentiam, seù facultatum regenerationem Capitulum ex adverso indictum nullitatis vitio notari non valeat.

37 Tanta enim obiecti moles corruit in omni sui parte, quoniàm benè notatur in facto, quod Regium prçceptum, ac Regii Consilii inhibitio continens suspensionem Visitationis P. à Santander processit ex culpa, & dolo P. P. Adversariorum; isti nàmque recursum habuerunt ad Regia Tribunalia plura, & quidem falsa supposita insinuando, mendaces assertivas in odium Visitatoris proferendo, proùt ex ipso Diplomate Regio adnotatur; hinc fit, quod si per hypotesim, & ad complacendum Parti Adversç aliqua potuisset resurgere, aut reviviscere facultas P. Provincialis, ac totius Definitorii ob suspensionem Visitationis P. Francisci à Santader, ista reviviscentia nullo pacto foret allegabilis ab eisdemmet Adversariis, quorum culpa, & malitia processit suspensio; regulæ enim in Jure nostro sine contradictore insimul conveniunt, quod culpa, sivè dolus nemini patrocinari potest, nec aliquis in sua malitia potest locupletior evadere, *iuxta Test. in leg. si quis minor* 2. *cap. si minor se maiorem dixerit, leg. si quis Domum* §. *idem querit. ff. de locat., & conduct. cum concordant. Gravet. cons.* 192. *lib. primo Lap. allegat.* 88. *n.* 4., *Paulus Christinus decis. Belgic.* 117. *n.* 5. *volum. primo, Ric. collect.* 3206. *Alvarez de Velasch. de iudic. perfect. rubric.* 14. *annot.* 4. *n.* 13. *Thom. Trivis. decis.* 63. *n.* 9. *lib. primo, Rot. part.* 14. *recen. decis.* 334. *n.* 16., *&* 17.

38 Clarius demonstratur, quod Partis Adversæ prætensio exercendi Jurisdictionem nativam ob suspensam Visitationem remanet totis numeris inutilis, & evanida, quia non processerat suspensio de mandato Superiorum Ordinis, à quibus delegatio Visitationis promanaverat, & quibus in consequens plena est facultas, & auctoritas illum à munere Visitatoris privandi, aùt suspendendi, sed processit suspensio ex facto Regiæ Coronæ tunc temporis Adversariorum colliditate malè instructæ, proindè cum non cessaverit virtus, & potentia delegatç Jurisdictionis, sed potiùs materialis actus exercitii fuerit impeditus permissum minimè fuerat P. P. Adversariis

riis fundare in nova reviviſcentia Juriſdictionis ex eorum muneribus, & officiis profluentis, ſed potius quamvis perduraret occaſionalis ſuſpenſio noſtri Viſitatoris, dimiſſa tamen, & deperdita remanſerat tàm P. Provincialis quàm Definitoris nativa Juriſdictio, quæ in fronte, & in conſpectu Juriſdictionis per Superiores Ordinis delegatæ pænitus adumbrata exiſtit; Suſpenſio enim ex Regio Præcepto ſuſpendit materiale exercitium, non autem habitualem Viſitatoris Juriſdictionem, veluti ratiocinatur *per Eminentiſſimum de Luca de Juriſd. diſcurſ. 29. n. 7. in fin., & benè conſiderat eruditiſſimus Anſal. deciſ. 31. n. 17. ubi allegatur deciſ. nullius Provinciæ Terraconen. Juriſd. ſupèr manutent. 30. Aprilis 1694. §. fin coràm B. M. Emerix.*

39 Pari itidem ratione mox citata reſponſio eliditur ex geminis facti circumſtantiis. Prima, quià Capitulum celebratum dignoſcitur per duos menſes ante tempus in Bul. Innoc. præfinitum, in qua ineſt facultas ſexquiennalia Capitula celebrandi, quiſque igitur non agnoſcit; quod celeris iſta properatio in celebrando Capitulo antè præfinitum tempus cauſam ſumpſerit ex machinatione, dolo, & fraude PP. Adverſariorum, nè ipſis ante Capituli celebrationem intimaretur formis aſſuetis Breve noſtri Regnantis Pontificis? Secunda circumſtantia eruitur ex eo, quod tempore celebrati Capituli jam notum, ac certum erat Breve Sanctiſſimi illiuſque expeditio, cum remotione eorum ab Officiis, & Regularibus Prælaturis. Quomodo igitur ſubſtineri poteſt eorum excuſatio, quod ad celebrationem Capituli devenerant ad ſubſtinenda ſua prætenſa Jura ex Innocentiana Bulla acquiſita, ſi uſquè tunc jam ſciebant, ac certi erant, quod ex relaxatione novi Brevis Pontificis omnis eorum Juriſdictio deperdita, & ſuffocata remaſerat?, quis igitur negare poterit, quod celebratio Capituli non ſit doloſa? quodque excuſatio non ſit effectata? *juxta diſpoſita in leg. primà ff. de action. empt. cap. cum qui de regul. Jur. in 6. Barb. de axiom. axiom. 41. n. primo Purpur. de Luca de Feud. diſcur. 85. n. 5. Rot. deciſ. 491. n. 7., & deciſ. 514. n. eodem coràm Bichio.*

40 His ſtantibus non meretur attendi altera PP. excuſatio, quod ipſi fuerint in bona fide, dùm ante actum celebrati Capituli inquirere voluerunt ſententiam, & judicium celeberrimorum Advocatorum Regiæ Curiæ, quoniam procurata Conſulta Advocatorum, nè dum non reddit illos excuſabiles, quin potiùs Reos facit acris reprehenſionis; dùm Breve ex Petri Cathedra proficiſcens aliam non admittit reſiſtentiam, & contradictionem, niſi debitam obedientiam, & indecorum eſt tàm Piæ Religionis PP. publicè auxilium petere prò obſiſtendo Bullę Summi Pontificis.

41 Et efficacius, quia Advocati, quorum judicium expoſtulaverant PP. Adverſarii fundabantur in eo, quod Breve Pontificium non fuerat exhibitum, & ſic incertum, & è contra Jus eorum favore re-

qui-

queſitum ex Bul. Innoc. ſit certum; quæ ratio undique inſubſiſtens apparet; Nonnè P. P. Adverſarii fuerant certiorati de exiſtentia Brevis, illiuſque tenore per Reverendiſſimum Archiepiſcopum Hyſpalen.? Nonnè in præliminari articulo futuri Capituli P. Provincialis ſingulis Vocalibus in unum congregatis notitiam dederat de exiſtentia hujus Brevis? Quomodò igitur attendi poteſt exceptio non exhibitionis illius, ſi de ſcientia præciſa, & indeclinabili undique conſtat? per iſtam ſcientiam per æquipollens dici debet suppletum dicti Brevis exhibitioni, etiamſi ſpecialis intimatio illius non adfuerit, veluti prætèr Auctoritates mox allegatas *Text. in Clem. cauſam in fin. de elect. Felin. cap. cum ſit Roman. nu. 15. de appellat. Lancellot. de attent. part. 2. cap. 4. in præfat. n. 124.*

42 Quin fortiùs etiamſi præciſa, & individualis Brevis intimatio necessaria fuiſſet, adhùc excuſari non poſſent Adverſarii ab eorum pertinacia, & inobedientia, quia revocata ſuſpenſione per Regium Diploma mediante vigilantia, & ſollicitudine memorati P. Franciſci Giennenſis, licèt debuiſſent promptè Brevi Apoſtolico parere, atque obtemperare, omniaque in eo contenta pia Devotione, & humilitate recipere, adhùc moliendo nova ſubterfugia, iterùm auſi fuerint recurrere ad Regia Tribunalia, & quod pejus eſt, tertio temerè, ac ſumma audacia ad aliud Capitulum in eodem Conventu Granatenſi deſcendere non timuerunt; Iſta igitur adeò obſtinata perſeverantia contradicendi contentis in Brevi indignos eos reddit cujuſcumque novæ reaſſumptionis Juriſdictionis.

43 Aſt funditus rimatis Verbis contentis in Brevi Innoc. XII. nulla equidem in eo conceſſa legitur facultas Provinciali, & Definitorio prędictis convocandi Capitulum ſexquiennale, cum quo derogari potuerit Juriſdictioni, & facultati competenti P. Generali, aliiſquè Urbis Superioribus tranſmittendi Viſitatorem in Provinciis Hyſpaniæ in caſu urgentis contingentiæ, & extraordinariæ cauſæ, ſed iſtorum Ius potiùs remanet præſervatum, quia finis Summi Pontificis fuit concedendi facultatem celebrandi ſexquiennalia Capitula, ut abrogentur intermediæ adunantiæ, quibus gravia parabantur incommoda Vocalibus, & putereà illæſa ex eo remanet facultas Superiorum Ordinis antè expeditionem dicti Brevis competen. tranſmittendi Viſitatores, nunquàm enim illorum Iuriſdictioni cenſetur Summum Pontificem voluiſſe derogare, ut definitum fuit in una *Barchinonen. Iuriſd. 12. Iunii 1682. §. petitur coram Mattęio, & in una Baren. Iuriſd. 26. Aprilis 1694. §. fundamentis coram R. P. D. Urſino, & in alia Dertuſen. Iuriſdict. ſuper gravaminibus 4. Martii 1697. §. final. cor. B. M. Pio.*

44 Ad comprobationem prædictorum paritèr reflecti juvat, quod decantatum Breve S. M. Innoc. XII., in quo tribuitur facultas celebrandi Capitula ſexquiennalia non continet verba abſoluta, & de per ſe diſpoſitiva, ſed potiùs conceptum legitur Verbis adhæſivis,

& relativis ad aliud præcedens Breve S. M. Clemen.X., ut clarè percipitur ex illius lectura; hinc Nobis datum sit arguere, quod veluti in Breve S. M. Clemen.X. indubitabilitèr, vel expresse concessa sit facultas Superioribus Ordinis in omni urgenti contingentia expedire Visitatores, ità paritèr id idem preservatum dici debet in Breve Innoc.XII., quod Breve cum sit referens virtualitèr, & implicitè continet ea omnia, quæ continentur in relato, nempè in Breve Clem.X. juxtà bon. *Tex. in leg. ait Prætor* §.1. *ff. de re judic.*, *Bartol. in l.1. ff. de recept. Gratian. disc.*937. *num.*13., *Posth. resolut.*68. *num.*140. *cum seqq.*, *Dec. cons.*362., *& cons.*467., *& dec.*125. *n.*9., *&* 10., *& dec.*155. *n.*13. *vers. quia D. Card.*, *& num.*14. *part.*12. *recent.*, *& in Spoletana Donation.* 16. *Martii* 1671. §.1. *vers. quæ tacitè coram R. P. D. Calataju*, & ægregiè *coram R. P. D. Ansald. dec.*32. *num.*44.

45 Hæc omnia usquè ad evidentiam patefaciunt patentem nullitatem omnium prædictorum Capitulorum; modo remanet parare defensiones adversus plura injuriosa crimina in præjudicium Nostri Visitatoris impicta, & que asseruntur Commissa etiam in actu expletæ Visitationis; sed quia integritas, vitæquè exemplaritas hujus Religiosissimi Definitoris, undiquè E. E. P. P., totiquè Religioni nota est, idcircò prò illius defensione solam ejus innocentiam undique comprobatam adducere sat est, maximè quia accusatio, sivè inquisitio nullo rationabili fundamento fulgitur, sed omnes sunt simplices jactationes, & exclamationes, quæ per Adversarios ad salvandam eorum proterviam circumferuntur.

46 Comprobata igitur ex iis omnibus simul junctis, nè dum patenti nullitate trium prætensorum Capitulorum, verùm etiam refutatis objectis plena manu per P. P. Adversarios occasione assumpte defensionis coram Superioribus Ordinis excitatis; Cogimur in præsens quantumvis cum mærore, & inviti, ne videamur sinè coactione assumere parum plausibiles Fisci, seù illius Instigatoris partes calamum vertere ad multifarios excessus per eos patratos, verum quia crimina, seù delicta adeò cumulata, & multiplicata dignoscuntur, ut impossibile foret omnia, & singula sub particulari, & individuo examine exponere, sine gravi E. E. P. P. molestia; idcircò opere prætium duximus prò faciliori illorum expositione crimina omnia per Adversarios patrata in triplici acie dividere. Alia scilicèt sunt crimina, quæ Sedis Apostolicæ Auctoritatem offendunt; alia quæ Maestatem Supremi, & naturalis Principis lædunt. Alia demùm, quæ præjudicium, & injuriam propriæ, & Paternæ Religioni irrogant. Omnia igitur crimina isthæc sic divisa, & disiuncta sub prudenti E. E. PP. Iudicio deferimus.

47 Auctoritatem itaque Apostolicæ Sedis nimis forè læsam ex parte Adversariorum mirificè suadetur reflectendo ad ea, quæ supra latè insinuavimus, nempè, quod notificato Brevi Sanctiss. Domini Nostri

stri

ſtri cum nova Officialium deputatione per medium Rev. Archiepiſcopi Hyſpalen., cum ſpeciali Ordine, nè PP. inobedientes auderent ad celebrationem Capituli devenire *dicto Summ. num.* 11., nihilominùs hiſce contemptis præceptis temerè auſi fuerunt in Conventu Granaten. ſub die 13. Octobris 1724. ad illius celebrationem deſcendere dicto *Summ. num.* 20. & adeò gravis, & exorbitans apparuit hujuſmodi celebrationis actus, ut conſideratis mediis, cum quibus ad illud devenerint, pejora pararunt præjudicia, quoniam antè Capituli celebrationem affectatè, & malitiosè exquiſiverunt nonnullorum Advocatorum Secularium Conſilium prò impedienda, retractandaque exequutione Brevis dicto *Summ. num.* 6. quaſi quod ſub iſtorum Judicio commiſſa foret interpretatio, & correctio Pontificię Auctoritatis, id quod profectò non tranſit ſine gravi ſcandalo. Poſt hæc ſuccedunt frequentes recurſus apud Regia Tribunalia, ſeù Regale Conſilium Madrid, ad hoc, ut ſæpe dicti Brevis exequutioni adverſaretur Regia potentia dicto *Summ. nu.* 18., in quibus recurſibus, quanta induſtria, quantoque artificio uſi fuerint, rectè percipitur, tum ex mendaciis, & falſis ſuppoſitionibus, quibus conabantur excitare Regios Senatores aſſerendo Viſitationem P. à Santander Reipublicæ fælicitati prorsùs turbativam, & ad vitioſum finem à Curia Romana impetratam, ut legitur in Regio Diplomate *Summ. num.* 25. *litt. A.*, tum ex muneribus non exigui valoris magno luxu implicatis contra Paupertatis Inſtitutum, juncta Magnatum Protectione, cum conſiderabili impenſa procurata *Summ. num.* 29. tùm denique ex injuſta accuſatione pii, & cordati noſtri Viſitatoris, eum imputando, quod Regiæ Iuriſdictioni adverſari audebat, dum oſtinatè literas receptæ Viſitationis Regio Conſilio oſtendere detractavit, quodque in Viſitationis actu plura parum commendabilia geſſerat *Summ. num.* 30.

48 Cumulantur itidem adversùs S. Sedem aliæ, & quidem deteſtabiliores injuriæ, quoniam Miniſtri Curiæ Epiſcopalis Granaten., quibus datum erat in mandatis præſentare Copiam Brevis, antequam ad actum celebrationis Capituli proſilerent, vetitum fuit experimentum ſui Officii, quamvis omnem adhibuerint conatum, dum PP. Adverſarii in odium præſentationis claudi curarunt Conventus Oſtia, & Novitios, ſtudenteſque, baculis, haſtis, & armis munitos in cuſtodibus aſſignarunt ad hoc ut impellenti neceſſitate commodè exequutioni reſiſtere valerent, prout de facto reſiſterunt, licet enim exequutores iterum, atquè iterum Ianuas pulſarent, & clamores, ut audirentur emiſiſſent; obturatis tamen auribus non valuerunt ad Brevis præſentationem devenire, niſi poſt celebratum Capitulum *Snmm. num.* 31. hæc igitur omnia tam audacter patrata veluti damnabilia remanent in Seculari perſona, fortiori ratione deteſtanda veniunt in Religioſis Sacerdotibus tam pio conſortio S. Franciſci adſcriptis, ac ſub ejus vexillo militantibus, quorum re-

 ſpectu

ſpectu talia crimina, vel penitus exhorreſcunt, vel ſignum deperditæ fidei indicitant.

49 Neque hic ceſſat ingraveſcentia malorum per ſupradictos PP. in perniciem S. Sedis commiſſa, quandoquidem PP. Inobedientes, quæ mala? quas iniurias? in tota Bætica Provincia adverſus Romanam Curiam non exagerarunt? promulgabant namquè, quod Iuſtitia prætio venundabatur, quod Brevia plus offerenti conceduntur, veluti practicatum aſſeruerunt in Brevi, de quo modo agimus *Summ. num.* 32. & quod omnium eriminum deteſtabilius eſt adversùs perſonam ipſam Summi Pontificis maledicentias cumulare non erubuerunt, & tamen huius vitæ exemplaritas, nativa ingenuitas, piaque innocentia in toto Orbe admiratur; excitando, & inſtruendo ulteriùs alios Religioſos, atque Novitios, ut eorum ſequantur veſtigia, & S. Sedis præcepta parvipendere ediſcant; Talia profectò crimina, qua pœna veniant plectenda, ne dum Nobis notum non eſt, ſed nec ipſa Lex definire auſa fuit, dum maledicentibus contrà Imperatorem ſtatuit quidem pœnam gladii *l. unica C. ſi quis imperat. Menoch. q.* 105. *num.* 396., ſed adversùs maledicentes contrà Papam, & Chriſti Vicarium ratione enormitatis criminis pœnas ſtatuere dedignata fuit, dùm prò tanti criminis acerbitate condignam pœnam invenire nequivit.

50 Deniquè prò ulteriori S. Sedis contemptu Tertium quidem Capitulum clandeſtinè non ſolum, verùm etiam mediis illicitis in eadem Civitate Granaten. *die* 11. *Januarii* 1726. celebrare non timuerunt *dicto Sum. num.*21.; Ulteriuſquè voluerunt nonnulli ex principalioribus Adverſariis, ſine Superiorum licentia è Provincia Bætica ad Urbem ſub prætextu votandi in Capitulo Generali devenire *Summ. num.* 33. quantumvis moniti fuerint de ordine Sanctiſſimi antequàm à dicta Provincia diſcederent *Sum. n.* 34., & quod magis ſcandaloſum, præjudicialeque fuit, in eo reſidet, quod ex eorum malitia, & damnabili induſtria reportata ſuſpenſione Viſitationis P. Franciſci à Santander, in loco Gadium, baccantium more, ac ſquillarum ſtrepitu, artificioſiſque ignibus in deriſionem Brevis publicè letabantur *Sum. n.* 35., talis itaque lætitia palàm oſtenſa, ex quo retardata veniat exequutio Brevis, nedùm correctione, verùm etiàm gravi pœna plectenda eſt; cum illis licitum non ſit de damno, ſeù præjudicio Sedis Apoſtolicæ publicè lætari.

51 Quid plùs temerè auſi fuerunt Sedis Apoſtolicæ Iuriſdictonem contemnere, iſti enim in loco Mutril. attenta reſiſtentia Guardiani illius Conventus eos in Superiores recognoſcendi, Cedulones affigi voluerunt in Ianuis ipſius Conventus declarando dictum Guardianum, cæteroſquè illius ſequaces, & obſequentes Sedi Apoſtolicæ excommunicatos, atquè anatematizatos *Summario num.*36., quid enim monſtruoſius dari poteſt, quàm Sedi Apoſtolicæ obedientes ſub Cenſuris innodare? & adverſus eos Superiores, quos Pontifex

in

in suo Brevi elexerat, contrario imperio contemnere, *proùt in Tex. §. fungitur, in authent. de nup., Luc. de Pen. in l. quisquis, col. 2. vers. quinimmò, c. de petit. 60. sublat. lib. 10., quod uti scelestissimum crimem designatur in l. ult., c. ad l. Jul. Mar. Martin. §. Laud. in tract. de crim. læsæ Majest. quæst. 20.*

52 In altera delictorum acie contra proprii Principis Majestatem non minoris ponderis, & gravitatis denotantur excessus; quoniam ultra quod Principis Majestati offensio gravis est, si custodiantur Claustra vi armata, si Regio Diplomate, quo revocata suspensione Visitationis Brevis exequutio demandatur, denegetur adimplementum? Si in Reali Consilio præces, seu Memorialia falsis suppositis mendaciis, & injuriis composita exhibeantur, potissimè si injuriæ contra proprium Superiorem, & contra Religionem irrogantur *Bos. de injur. num. 4. Bertaz. cons. 390.* Concurrit in præsens attentata Ministrorum, Officialiumque corruptio mediante pęcuniæ, munerumquè oblatione *Summario num. 37.* occasione qua supponebant R. R. PP. Antonium de Arahal, & Thomam de Siuilla constantissimi obedientiæ Sectatores profugos à Religione curando, ut præfati Ministri illos, quos in mandatis non habebant vinculis subiicerent *Summ. num. 38.* per quam attentatam Ministrorum corruptionem valdè læditur Supremi Principis Auctoritas *Bald. in auten. novo Iur. quæst. 1. C. de pœn. Iudic. qui malè judic. Menoch. de Arbit. casu 342. num. 22., & Muscat. de cognit. delict. tit. de Iudic. corrupt. num. 56., & seqq. constantissimè firmat, quod corrumpens tenetur pœna falsi*; & ulteriùs per tres Noctes continuatas ad istum effectum incarcerandi dictos PP., quos reos, & criminosos, uti Religionis Superioribus obedientes opinabantur tres Laicos benè complexos, & armatos per totam Hyspalen. Civitatem percurrere fecerunt, qui ad instar Curiæ iter transeuntibus interdicebant, illos visitando, qui actus sunt usurpativi Regiæ Iurisdictionis *Gratian. discept. forens. cap. 10. num. 18. Menoch. de Arbit. cas. 320. per totum, Ric. collect. 1626., Thom. Trivis. decis. 11. num. 14. lib. 2. Sanfel. decis. 336. num. 15., & præcipuè Sanz. de recrim. controv. 4. per tot.*

53 Præterea in supradicto loco Mutril. denegante R. P. Guardiano ipsis Adversariis, veluti Sedi Apostolicę Inobedientibus Iurisdictionis exercitium in Conventu, isti una cum Laicis, aliisquè simùl unitis Secularibus nocturno tempore Conventui prædicto assaltum prębuerunt in modum, ut ad sedandos, pacandosque rumores, & tumultus, armorum Duci in illo loco præsidenti milites unire, & ad Conventum, nè populi commotio sequeretur pergere necesse fuit *Summ. num. 39.* ex quo violenti actu cum periculo Seditionis non parùm læsa Principis Majestas dici debet.

54 Et non dissimili modo sub die 2. Augusti 1725. in eodem Conventu Mutril. paritèr ex causa denegatæ recognitionis, & obedientiæ P. Angelus Granatensis vi, una cum suis Sociis in Conventu ingre-

di tentavit *Summ. num.*40., qui actus ea die, in qua Universalis Indulgentia in Cappuccinorum Ecclesia indicta erat, & ubi Populi multitudo intercesserat, pessimum fuit scandalorum exemplum.

55 Ultrà prædictos excessus in odium Principis, alterum non minoris ponderis, & injuriæ ergà illius Majestatem patrare non erubuerunt; P. P. enim Inobedientes persequebantur P. Thomam de Sivilla Brevi Apostolico obtemperantem, illumquè per totam Civitatem, uti fugitivum, & Apostatam insectabantur; quarè per istum quæsito refugio in Domo Io. de Martinez de Rubia. Prædicti PP. Adversarii associatis militibus, cui, & armis præfatum P. Thomam è Domo dicti Io. de Martinez tota vi, & conatu subtrahere studuerunt, undè prefatus D. Io. ex hac violentia ira fervescens adversus prædictos PP. irruit *Summario num.* 41., in modum, ut invicem colluctantibus iteratis pugnis, in toto Populo ibidem coadunato, risum, & scandalum præbuerunt; Veluti non dissimilitèr P. Hieronymus de Ezisa, cui in odio erat Iurisdictio cujusdam P. Commissarii facultates habentis à Superioribus Urbis, Istum Apostatam publicando undiquè sollicitè vagabatur, & vim faciebat, ut illum carcerari valeret, quod cum obtinere non potuerit, contra eum Apostasiæ Processum compilavit.

56 Multiplicabantur itidem excessus, & attentata, etiam contra proprium Principem persæpè enunciatos PP., isti enim in loco dicto Carcabuei prò capiendis duobus Religiosis obedientium partem foventibus, efformato publico strepitu, excitatis clamoribus more Latronum publicè delinquentium, illos de die, per vias, & vicos Civitatis, quocumque Principis timore postposito prosequuti fuerunt *Summario num.* 42. Iactantes, quod Regio Iussu Summi Pontificis Ordinationes in Brevi contentæ contrario Imperio removebantur, id quod Regiæ famæ, & extimationi in tàm Pio, & Religioso Rege nimium infert præjudicium *Summ. n.* 43. Et deniquè, quod majoris injuriæ fuit apud Regiam Coronam sistit in eo, quod PP. Adversarii non semèl, sed pluriès in grave Regii appaltus præjudicium super Tabacco negocium faciebant, illud de loco ad locum totius Hyspaniarum Regni fraudolentèr, & occultè adsportando, subindè industriosè illud vendendo, ope, & industria cujusdam Monialis intercedente, qui prætium ex venditione retractum suscipiebant *Summ. num.* 44., & quamvis justo Dei Iudicio semèl inciderint in commissum, ex quo reperti fuerunt asportantes libras 90. Tabacchi juxtà illarum partium pondus, nihilominùs tanta fuit illorum industria, ut fraudis commissę pęnam elidere sciverunt. Quis igitur negare poterit, quod isti manifestè Principem offendunt, illiusquè Iurisdictionem deturbant, quodquè demùm pæna, & quidem gravissima plectendi veniant? *Text. in l.3. C. vectigal. nov. imponen. Farinac. qu.*173.*n.*102. *Bellon. junior. cons.*14. *n.*1. *cum aliis allegat. per nostrum Eminentissimum de Luca de Regal. disc.*85. *n.*3.

57 Re-

57 Remanet deniquè sub oculis E. E.V. V. exponere multifarios excessus, quos Inobedientes PP. adversus propriam Religionem patrare non timuerunt; Cum autem isti sint pondere, & mensura graves, nimiumquè difficile illos singularitèr exponere; Proponimus igitur genericè animadvertere, quod istorum ope Regulæ omnes, Sacraque Instituta prorsùs neglecta in Bætica Provincia remanserunt; etenim si mentem dirigimus ad paupertatis Votum, quot isti non commiserint impensas à Religione damnatas, tùm in itineribus, tùm in Cauponibus, tùm deniquè in Conventibus *Summario num.* 45. Ipse insupèr affectando necessitatem, & urgentiam interessendi ad Generale Capitulum in Urbe faciendum, nimia, & damnata prodigalitate currus, navisque Nolitus persolverunt, & quod plus est, ut quidem Navis conductor, si per diem antè velam daret, *Dublas* 25. *Auri* obtulerunt *Summ. num.* 46. In Civitate Cadicensi adscribi curarunt in eorum credito *pezzas* 4000. persolvendas in Urbe *Summ. num.* 47. Insupèr publicè, & sine ulla erubescentia pecunias in non modica quantitate in manica retinebant *Sum. n.* 48.

58 Si verò animadverti contingat ad aliud magis necessarium obedientiæ Votum, undiquè patens fit contemptus, reflectendo antè omnia ad pravum animum contra P.Provincialem, istum imputando apud Regale Consilium, & ipsam Sacram Majestatem Catholicam, quod Religiosos inauditos ab officiis deponebat; in Definitione habita die 18. Junii 1726. in Conventu Hyspalen. injuriosam Epistolam compo[redacted] Regi, & Consilio directam contrà P.Provincialem Apostolicum, omnesque alios obedientes, cujus Auctor fuerat P.Hieronymus de Ezija, qui publicè protestatus fuit passione motus, & non zelo, falsa scripsisse, & etiam de consilio aliorum PP., in dicta [redacted] adstantium, quorum erat opinio quod per quæcumque media, etiam illicita removere debuisset Visitatio *Sum. n.* 49. Visitationi P. à Santander habentis facultatem à Superioribus Ordinis delegatam, scandalosè resisterunt, processumque contra eum audactèr compilarunt, illum titulo Visitatoris per speciale Decretum in Definitione æditum denudarunt, & demum sine ipsius, aliorumque Superiorum licentia in Conventu Hyspalen. Capitulum, ac Definitionem convocarunt, & subindè etiam celebrarunt. Quamvis à Superioribus moniti, istis tamèn invitis, & contra Instituti Regulas ad Urbem accedere non timuerunt. Ut validè resistentiam præberent Visitationi prædictæ, ac Superiorum Ordinibus, ad Regia Tribunalia confugium quæsiverunt, ut latè supra probavimus: Et quod remanet notatu dignum, obtenta ex eorum industria, ac damnabili sollicitudine, suspensione Visitationis P. à Santander in Curia Matriti, isti suorum Superiorum Ordines deridendo Missam Cantatam, ac solemnem duodecim accensis Candelis celebrare fecerunt *Summ. num.* 50. Totis se viribus implicarunt, ut cæteri Religiosi Superiorum contemnerent præcepta; & in Bætica Provincia plures effuserant

rant

rant jactationes, Provinciam istam Ordinis Superioribus non subiacere. Cum P. Procurator Generalis Ordinis per specialem Epistolam Capitulum in Hyspalensi Civitate celebratum invalidum declarasset, fuit talis declaratio, seù Capituli nullitatis pronunciatio, intimata, & notificata P. Angelo Granatensi, qui loco parendi mandatis dicti P. Procuratoris Generalis, pariter asseruit literas esse falsas, omnesque obedientes sub carcerum pœna minatus fuerit *Sum. n.* 51.

59. Demùm adhùc de tertio Castitatis Voto, quædam quamvis non tàm gravia notanda remanent; permiserunt enim, ut Mulieres in Conventibus pluriès ingrederentur, munera eis præbebant, *Sum. n.* 52., in Domibus Sæcularium continuò conversare non dubitarunt, quæ omnia licèt non sint univoca signa violatæ Castitatis, attamèn multùm detrahunt Religionis exemplaritati.

60 Et in universum contrà Regulas proprii Instituti generalitèr aberrarunt. Pluriès enim isti extrà Claustra quieverunt. Orationibus mentalibus, horis Canonicis, Divinisque Officiis assistentiam persæpè neglexerunt *Sum. n.* 53. In itineribus explendis aptatis equis, vel Curribus peregrinare consueverunt *Sum. num.* 54. Itidem prelibatis, exquisitisque carnibus (distributis aliis valdè inferioribus PP. Obedientibus in Refectorio Communitatis comedentibus) sese alebant *Sum. n.* 55., morbidis linis, ac subuculis benè exornatis incedebant induti *Sum. num.* 56. Pro substinenda hac lite contra Superiores conspicua, ultrà enunciatas pezzas 4000. secum tulerunt munera *Sum. num.* 57. Usurparunt Jurisdictionem P. Generalis de una ad aliam Provinciam licentias concedendo, quod est contrà Constitutionibus in Cap. 5. -- Ibi -- *Se alcuno andarà ad una Provincia contigua senza licenza del P. Generale sia tenuto, e gastigato come Apostata Sum. n.* 58. Ecclesiastica suppellectilia distraxerunt *Sum. n.* 59. Eleemosynas diurnas sibi appropriarunt; Apparatus Ecclesię contrà pii legatarii mentem vendiderunt, & demum Conventus omnes, ac Altaria ipsa spoliarunt *Sum. n.* 60., quæ omnia Legi, & hujus Seraphicæ Religionis Instituto pręmaximè adversantur, & pænam merentur, ut notat *Archid. q.* 35. *art.* 1. *tom.* 2. *Diez in pract. cap.* 71., *& meliùs laudatus P. Philip. de Bictis q.* 123. *num.* 8.

61 Ex hisce omnibus patratis excessibus per P. P. Inobedientes tàm contra S. Sedem, quàm contra Principem, & demum contra Religionem, quorum numerum, nominaquè exponimus in *Summ. n.* 61. & quorum Auctores fuerunt sæpedicti P. P. Angelus Granaten., Hieronymus Giennen., Felix Ioseph de Ubrique, Hieronymus de Ezija, Franciscus Maria ab Arenzano, Ambrosius de Llanes, & Michael de Hardales.

62 Proindè P. P. omnes Obedientes Bæticæ Provinciæ ad pedes E.E. P. P. humilitèr genuflexi unicè exposcunt, ad hoc, ut in ea Provincia redeat tranquillitas, & pax; ac elemosynarum frequentia ferè deperdita resurgat; Quod Auctores prædicti ad alias, & exteras

exu-

exulent Provincias; generalitèr verò quoad alias pænas incursas ob delicta patrata contra Sedem, Principem, & Religionem, nè videantur adversus proprios Fratres, & contra charitatem inquirere, dumtaxt ab E. E. P. P. quibus Major est sollicitudo in ordine ad ęstimationem, decus, & famam Sedis, Principis, & Religionis prudentem expectant resolutionem, proùt aliàs in identica casus contingentia resolvit S. Congregatio Episcoporum, & Regularium in quadam Provincia Galliæ, cujus resolutio robur obtinuit ex confirmatione S. M. Urbani VIII., ut ex illius Breve in præsenti *Summ. n.*62. registrato, & sub Anno 1638. ædito.

Quarè &c.

Hyacinthus de Scorpionibus.